



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias  
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||  
quatuor.||**

**Durandus <de Sancto Porciano>**

**Antverpiæ, 1567**

Quæstio prima. Vtrum aliquod peccatum sit in Spiritum sanctum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

oportet & quando non oportet plus omittit de circumstantiis liberalitatis quam qui dat cui oportet, sed non quando oportet, ergo &c. Item secundum eandem circumstantiam in specie ille actus est peior cuius circumstantia est deterior, sed in peccatis eiusdem speciei circumstantia eadem secundum speciem potest esse in uno peior quam in alio, sicut in furto. Iupposito enim quod res aliena sit furtive ablata quantitas rei auget vel minuit gravitatem furri, gravius enim est subtrahere alicui multum quam parum, sicut e contrario servato modo virtutis virtuosius est dare multum quam parum, ergo &c. Pareat igitur quod qualitercumque comparentur peccata non sunt paria, sed semper inveniuntur, vel potest inveniuntur inter ea inaequalitas. Et hoc est quod dicit beatus Augustinus ad Hieronymum clarissima disputatione tua satis apparuit non placuisse auctoribus nostris, imo nec ipsi veritati omnia peccata esse paria.

3 Ad Primum argumentum dicendum quod ratio illa in multis deficit. Primo quia regula rationis non est una tantum nec circa unam materiam, sed circa plures. Et licet in omni materia sit servanda regula rationis, tamen magis est servanda in una quam in alia, ut declaratum fuit in corpore questionis, propter quod grauior est transgressio in una quam alia, sicut de pluribus lineis prohibitis transgredi peius esset transgredi illam quae esset prohibita sub poena mortis quam illam quae esset prohibita sub poena minore. Secundo, quia regula rationis circa unam & eandem materiam respicit multa & non unum tantum. Bonum enim virtutis est ex obiecto & omnibus circumstantiis, & ideo peior est transgressio omnium circumstantiarum quam unius tantum, non sic autem est de transitu lineae prohibitorum quia ibi non est nisi una mala circumstantia scilicet transgressio prohibitionis. Tertio, quia licet peccatum semper sit quadam transgressio regulae rationis, tamen tota grauitas peccati non attenditur ex sola transgressione, sed pensatur etiam ex maiori vel minori voluntate transgredientis, ideo insufficienter arguitur.

4 Ad secundum dicendum per interemptionem maioris per omne enim peccatum mortale priuatur totaliter gratia, non quia omnia sint paria, sed quia omne peccatum mortale natum est tollere ordinem subiectionis ad deum, vel sedes humanae societatis ad proximum: talis autem qui sic facit, habendus est in ciuilitate tanquam hostis ad quem non habetur gratia. Et ideo &c.

Sententia huius distinctionis. XLII. in generali & speciali.

Est praeterea quoddam genus alii peccati. Superius determinauit Magister de peccato in generali. Hic determinat de ipso in speciali. Vnde determinat specialiter de peccato in spiritu sancto. Et diuiditur in partes duas. Primo determinat de peccati huius grauitate. Secundo inquit de eius quidditate. Secunda ibi, sed quaeritur quid sit illud peccatum. Et haec diuiditur in tres secundum triplicem descriptionem huius peccati quam ponit. Secunda ibi, est autem & alia huiusmodi peccati assignatio. Tertia ibi, de hoc quoque peccato. Prima istarum diuiditur in duas. Primo ponit unam assignationem huius peccati. Secundo circa hoc mouet questionem & soluit. Secunda ibi, sed quaeritur, utrum omnis obstinatio. Haec est sententia & diuilio lectionis in generali.

1 In speciali primo sic procedit. Et proponit primo quod peccatum in spiritu sancto est grauissimum, quia ut habetur in euangelio non remittitur in hoc seculo nec etiam in futuro. Et illud idem est peccatum ad mortem. Postea dicit quod uno modo dicitur peccatum in spiritu sancto, scilicet obstinatio, vel induratio, vel desperatio: obstinatio autem est obduratio mentis in malitia, desperatio vero est diffidentia bonitatis diuinae per primam dei iustitiam contemnitur, per secundum bonitatem & misericordiam. Postea quaerit, utrum omnis obstinatio vel desperatio sit peccatum in spiritu sancto: & respondet quod quidam dicunt quod sic, & secundum eos dato quod multi obstinati conuertantur oportet ponere quod peccatum in spiritu sancto non dicitur irremissibile, ita quod nullo modo remittatur, sed quia vix & raro remittitur. Alii vero dicunt solum obstinationem & desperationem quam comitatur finalis impoenitentia esse peccatum in spiritu

sanctum, & secundum istos peccatum in spiritu sancto nunquam remittitur. Postea dicit quod alio modo dicitur esse peccatum in spiritu sancto induratio & oppugnatio superbiae gratiae, quod ideo non dicitur remitti, quia tales humilitatem petende venie subire non possunt. Subdit tamen quod talis induratio & oppugnatio non faciunt peccatum in spiritu sancto, nisi cum finali impoenitentia. Et vult hic accipere finalem impoenitentiam non solum prout negat actum, sed & propositum. Vltimo dicit quod alio modo dicitur peccatum in spiritu sancto peccatum quod fit contra bonitatem & virtutem spiritus sancti, quod non est intelligendum quod sit alia offensa unius personae diuinae quam aliarum, sed per quadam appropriationem secundum quam dicuntur peccata ex infirmitate committi in patrem, peccata ex ignorantia in filium, peccata ex malitia in spiritu sanctum.

QUESTIO PRIMA.

Utrum sit aliquod peccatum in spiritu sancto.

Thom. 2. 2. q. 14. ar. 1.

Circa distinctionem istam primo quaeritur, utrum sit aliquod peccatum in spiritu sancto. Et videtur quod non, quia una est maiestas patris & filii & spiritus sancti. Sed nullum peccatum dicitur committi in patrem, aut filium, ergo nec in spiritu sanctum.

2 Secundo Magister dicit, quod illi peccant in spiritu sancto quibus malitia propter se placet, sed malitia nulli potest placere secundum se, id est in quantum malitia, quia nihil appetitur nisi sub aliqua ratione boni, nullus enim aspiciens ad malum operatur, ut dicit Dionysius, ergo nullus potest peccare in spiritu sancto.

3 Item si aliquid esset peccatum in spiritu sancto hoc videretur maxime de peccato ad mortem, de quo loquitur Ioannes 1. can. cap. 5. quod etiam Magister dicit in littera, sed illud non potest esse peccatum in spiritu sancto ut probatur, ergo nullum. Probatio minoris: omne peccatum mortale est peccatum in spiritu sancto, quia frustra fieret specialis mentio de ipso, ergo &c.

4 IN CONTRARIUM est quod dicit dominus Mat. 12. qui dicit contra spiritum sanctum verbum non remittitur ei: & simile habetur Mar. 3.

5 RESPONSIO. Quod sit aliquod peccatum in spiritu sancto originaliter habet ex praegalatis locis scripturae. Doctores autem posterius de hac materia loquentes amplauerunt eam non modicum diuertentes a prima intentione scripturae. Et ideo sic proceditur, quia primo ostenditur quod sit peccatum in spiritu sancto secundum scripturae intentionem & secundum doctorum traditionem. Secundo ostenditur quae & quot sunt species peccati in spiritu sancto.

6 Quantum ad primum sciendum est quod secundum intentionem scripturae peccatum in spiritu sancto dicitur blasphemia prolata contra spiritum sanctum, si spiritus sanctus accipitur pro eo quod est commune toti trinitati prout quaelibet persona potest dici spiritus & sancta vel sanctus, & sic accipitur spiritus, Ioannes 4. ubi dicitur Deus spiritus est, & sic distinguitur Mar. 11. & Mar. 13. blasphemia in spiritu sancto contra blasphemiam in filium hominis. Christus enim operabatur quaedam humanitus comedendo & bibendo, & alia huiusmodi faciendo, & quaedam diuinitus, scilicet daemones eiciendo, & alia miracula faciendo per virtutem propriae diuinitatis. Iudaei ergo dixerunt primo quaedam cum blasphemiam contra filium hominis, dicentes, ut habetur Mar. 11. Vorax est, & potator vini, amicus publicanorum & peccatorum. Postmodum autem blasphemauerunt in spiritum sanctum dum opera quae Christus faciebat virtute propriae diuinitatis & operatione spiritus sancti attribuebant principi daemones dicentes, In Beelzebub principe daemones eicit daemones. Et haec blasphemia vocatur ibi peccatum in spiritu sancto secundum intentionem scripturae quam sequuntur antiqui doctores Athanasius, Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, & Chrysostomus.

7 Secundo accipitur peccatum in spiritu sancto ab Augustino pro finali impoenitentia, quando scilicet aliquis peccauerat in peccato mortali vsque ad finem, & dicitur peccatum

rum in spiritum sanctum, quia est contra remissionem peccatorum que attribuitur spiritui sancto. Posteriores autem doctores aliter accipiunt peccatum in spiritum sanctum. scilicet quando peccatur contra appropriatum spiritui sancto, quod est bonitas. Sicut enim patri appropriatur potentia & Filio sapientia, sic Spiritui sancto bonitas, cum igitur quis peccat ex infirmitate dicitur peccare in patrem, ex ignorantia dicitur peccare in filium, cum autem ex malitia dicitur peccare in spiritum sanctum, nisi quod peccare ex malitia vel ex electione mali quod idem est contingit dupliciter. Vno modo ex inclinatione habitus vitiosi qui malitia dicitur, & sic peccare ex malitia non est peccare in spiritum sanctum. Alio modo contingit ex hoc quod per contemptum abicitur illud quod poterat peccatum impedire sicut spes premiorum, & timor suppliciorum retrahunt a perpetracione peccati. Hec autem abicitur per presumptionem & desperationem, & quia spes & timor, & huiusmodi que nata sunt nos retrahere a peccato sunt quedam dona spiritus sancti in nobis. Ideo scienter ea abicere est peccare in spiritum sanctum, & sic patet primum.

8 Circa secundum sciendum est quod peccatum in spiritu sancto primo modo acceptum scilicet pro blasphemia dicta contra spiritum sanctum unum peccatum est, nec diuiditur in illas species quas doctores assignant. Ipsum etiam acceptum secundo modo pro finali impoenitentia, sicut Aug. accipit libro de verbis domini, non est peccatum secundum se, sed circumstantia peccati que potest in quolibet peccato reperiri dum homo in quolibet peccato potest perseverare usque ad mortem, & ideo nec sic habet species, sed est circumstantia in qualibet specie peccati reperta vel reperibilis. Sed tertio modo peccatum in spiritum sanctum diuiditur in sex species tanquam genus que sunt presumptio, desperatio, impoenitentia, obstinatio, impugnatione veritatis agnita, & inuidia fraternalis gratia, quod patet sic, peccatum in spiritu sanctum est cum ex contemptu abicitur illud quod potest hominem retrahere a peccato ut dictum est, talia autem sunt quedam ex parte dei, scilicet spes premiorum & timor suppliciorum. Primum abicit desperatio, secundum abicit presumptio. Quedam sunt ex parte donorum ipsius, quorum unum est cognitio veritatis contra quam est impugnatione veritatis agnita dum scilicet aliquis veritatem fidei agnitam gratis impugnat, aliud est auxilium diuine gratie quam impugnat inuidia fraternalis gratie, dum scilicet aliquis inuidet non solum gratie fratris, sed gratie dei crescenti in mundo. Alia duo sunt ex parte peccati, scilicet inordinatio actus cuius consideratio solet hominem inducere ad poenitentiam, quia ipsa inordinatio reddit actum turpem, & contra hoc est impoenitentia, non quidem ut dicit solum permanentiam in peccato, sic enim non est speciale peccatum, sed quedam peccati circumstantia. Sed accipitur hic impoenitentia secundum quod importat propositum non poenitendi, aliud est paruitas & breuitas boni quod quis in peccato querit cuius consideratio solet hominem inducere ad hoc quod eius voluntas in peccato non firmetur, iuxta quod dicit Apostolus ad Rom. 6. Quem fructum habuistis in illis in quibus nunquam erubescitis. Et contra hoc est obstinatio per quam homo firmat propositum suum in hoc quod peccato adhaereat. Alio modo sumuntur he duae species vltime ex parte hominis cui fit remissio peccatorum, in quo duo requiruntur, scilicet dolor de preterito, contra quod est impoenitentia, & propositum cauendi de futuro, contra quod est obstinatio: nec ista distinguuntur solum penes preteritum & futurum, sed etiam penes ea que priuant, quia impoenitentia priuat emendam, obstinatio vero cautelam.

9 Ad primum argumentum dicendum, quod sicut est vna maiestas patris & filii & spiritus sancti, sic est vnum peccatum quod committitur in quolibet trium, dum opera diuinitatis attribuuntur immundo spiritui, sicut Iudaei attribuebant expulsiōem immundorum spirituum factam per Christum Belzebut principi demoniorum, & tunc dicitur peccatum in spiritum sanctum, accipiendo spiritum sanctum non personaliter sed essentialiter, accipiendo autem spiritum sanctum personaliter sic contingit peccare contra spiritum sanctum dupliciter, male sentiendo de persona spiritus sancti, sicut illi male senserunt qui dixerunt ipsum esse ministrum patris & filii, aut peccando contra eius ad-

tributum quod est bonitas, quod fit cum ex certa malitia peccatur. Et cum simili modo contingit peccare in patrem & filium, aut male sentiendo de persona patris aut filii, aut peccando contra eorum attributa que sunt potentia & sapientia, quod fit cum peccatur ex infirmitate vel ignorantia. Et ideo ratio falsum supponit, scilicet quod nullum sit peccatum in patrem & filium.

10 Ad secundum dicendum, quod aliquis dicitur peccare ex malitia, non quia malum sub ratione mali alicui placeat, cum hoc sit impossibile, sed quia homo non ignorans an sit malum & contra legem dei, illud quod proponitur sub specie boni, nec victus vehementer passionibus absorbente ad horam iudicii rationis sponte eligit profectum aliquod delectabile non obstante quod non lateat ipsum illud esse malum & contra legem dei, iudicat tamen quod melius est legem dei transgredi, si delectatione priuari, & in hoc erratur, sed non est iste error vel ignorantia que excludit scientiam qua aliquis scit malum esse quod agitur, quomodo dicitur aliquis ex ignorantia peccare, imo talis sponte claudit oculos rationis ostendens malum esse quod proponitur ut ipsum liberius profectur.

11 Ad tertium dicendum, quod non omne peccatum mortale dicitur peccatum ad mortem, sicut de peccato ad mortem loquitur B. Ioan. est enim mors prima que est priuatio gratie per quam spiritualiter viuimus, & ad hanc dicit omne peccatum mortale, sed quia ex hac est possibilis reditus ad vitam Deo principaliter prestante remedium & homine cooperante per liberum arbitrium, ideo non quodlibet mortale peccatum dicitur peccatum ad mortem simpliciter, sed solum illud quod inducit mortem quod excludit quantum est de se reditum ad vitam. Et tale est peccatum illud quod abicit remedium per quod remittuntur peccata, ut impoenitentia, obstinatio, desperatio, & huiusmodi que sunt species peccati in spiritu sanctum, sicut & in corporalibus illa infirmitas per excellentiam dicitur ad mortem que inducit fastidium medicine.

#### QUESTIO SECUNDA.

Vtrum peccatum in spiritum sanctum sit irremissibile.

Thom. 2. 2. q. 14. ar. 3.

Secundo queritur, vtrum peccatum in spiritum sanctum sit irremissibile. Et videtur quod non, quia esse irremissibile tollit potentiam remissionis, si ergo aliquod peccatum sit irremissibile, aut negatur potentia remissionis ex parte remittentis, quod esse non potest cum potentia dei cuius est remittere peccata sit infinita ad remissionem omnium peccatorum sufficientissime se extendens, aut negatur potentia ex parte hominis remissionem recipiens, quod etiam non potest dici cum homo quoadiu est in statu vite sit capax remissionis, nullo modo ergo peccatum in spiritum sanctum est irremissibile.

2 Item potentior est virtus in bonum quam vitium in malum, sed nulla virtus in presenti confirmat hominem in bono, ergo nullum vitium confirmat in malo, sed sola confirmatio in malo impedit remissionem, quare &c.

3 IN CONTRARIUM est quod dicitur Mat. 23. qui dixerit verbum contra spiritum sanctum non remittetur ei neque in hoc seculo neque in futuro. Et arguitur per rationem, quia pro omni peccato remissibile est orandum Deum, sed pro peccato ad mortem quod Magister dicit esse peccatum in spiritum sanctum non est orandum, ut dicitur 1. Ioan. vlt. ergo peccatum in spiritum sanctum non est remissibile.

4 RESPONSIO. De peccato in spiritum sanctum an sit irremissibile varie respondendum est secundum varias eius acceptiones. Si enim vocetur peccatum in spiritum sanctum peccatum cum finali impoenitentia sicut accipitur a beato Aug. ut in precedente questione dictum fuit, sic illud peccatum dicitur simpliciter irremissibile, quia nunquam remitti potest nec in vita ista, impediendo finali impoenitentia, nec in alia quia in ea non erit status remissionis. Si autem accipiat pro blasphemia dicta in spiritum sanctum qui est primus modus accipiendi ipsum, vel pro contemptu abicente id quod possit retrahere a peccato, qui est tertius modus, sic peccatum in spiritum dicitur irremissibile, non quia omnino remitti non possit, nam & Deus